ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

An. et Vol. CVII

TYPIS VATICANIS
MMXV

An. et vol. CVII 2 Ianuarii 2015 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DODOMAËNSIS

Nova in Tanzania erigitur provincia ecclesiastica, cuius sedes erit Ecclesia Dodomaënsis, quae, hac de re, ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur et suffraganeae erunt cathedrales Ecclesiae Singidaënsis et Kondoaënsis.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Inter eximias Apostolicae Sedis curas haec quoque exstat ut, cum id Dominici gregis bonum et rectum dioecesium regimen expostulare videatur, ecclesiasticae circumscriptiones opportune immutentur. Cum autem rei catholicae profectui in Tanzania non parum conferre existimetur e tribus dioecesibus Dodomaënsi, Singidaënsi et Kondoaënsi nova provincia ecclesiastica erigenda, Nos, re mature perpensa, de Consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, atque accedente favorabili sententia Venerabilis Fratris Francisci M. Padilla, Archiepiscopi titolo Nebiensis et in Tanzania Nuntii Apostolici, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, novam inibi provinciam ecclesiasticam erigimus et constituimus, cui Dodomaënsis nomen erit, et Ecclesiis constabit Dodomaënsi, Singidaënsi et Kondoaënsi.

Cathedralem itaque Ecclesiam Dodomaënsem ab archiepiscopalis Ecclesiae Daressalaamensis metropolitico iure eximimus et ad gradum et dignitatem Ecclesiae metropolitanae extollimus et ipsi proinde omnia tribuimus iura, privilegia et praerogativas, quibus ceterae per orbem metropolitanae Ecclesiae iure communi fruuntur. Novae insuper huic Metropolitanae Ecclesiae Dodomaënsi suffraganeas subicimus tum cathedralem Ecclesiam Singidaënsem, quam proinde a metropolitico Archiepiscopi Taboraënsis iure eximimus, tum cathedralem Ecclesiam Kondoaënsem, quam ab Archiepiscopi Daressalaamensis metropolitico iure subtrahimus. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, ad exsecutionem mandanda Venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Franciscum M. Padilla in Tanzania Nuntium Apostolicum eligimus, eidemque idcirco necessarias et opportunas facultates tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et ipsi onus imponimus ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione, cum primum fas erit, authenticum transmittendi peractae exsecutionis exemplum. Contrariis quibusvis causis neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS PP.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

M. Rossetti, *Proton. Apost.*
F. Di Felice, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 62.943

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Iosepho Puglisi Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam ponit pro ovibus; mercennarius et, qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit – et lupus rapit eas et dispergit» (*Io* 10, 11-12).

Sacerdotalis vocatio a Venerabili Dei Servo Iosepho Puglisi fidelissime secuta adduxit eum ad voluntatem divinam naviter faciendam atque provehendam quandoquidem eam habebat uti potissimum modum quo nos a simulatione et violentia societatis saecularium morum liberemur. Animas quidem numquam dereliquit; immo potius, sanguine suo effuso, iis christianam caritatem infulsit ob praeclarum exemplum quod post martyrium suum etiam magis refulsit.

Beatus Iosephus in vico populari urbis Panhormi natus est die XV mensis Septembris anno MCMXXXVII. Studiis apud seminarium expletis, die II mensis Iulii anno MCMLX ordinationem sacerdotalem suscepit, post quam nominatus est primum Vicarius paroeciae Sanctissimi Salvatoris in vico *Settecannoli* et Rector ecclesiae Sancti Ioannis Leprosorum, deinde cappellanus Instituti *Roosevelt* necnon Vicarius paroeciae Beatae Mariae in caelum Assumptae in *Valdesi.* Postea nominatus est Parochus ecclesiae Beatae Mariae Virginis Immaculatae in civitate *Godrano* Panormitanae provinciae. Munera Vices Gerentis Rectoris Seminarii Archiepiscopalis Minoris, Moderatoris Circuli pro vocationibus primum dioecesani, dein Regionalis, necnon membrum Consilii Presbyteralis exsequens, ille humano et psychologico sensu praeditus praeclarus exstitit. Animator plurium quoque laicarum societatum fuit, inter quas adnumerantur «Praesentia Evangelii», Actio Catholica, Foederatio Alumnorum Universitatum Studiorum Catholicorum Italicorum, Coetus «Domina Nostra» intra moenia Domus Beatae Mariae Virginis ab Acceptione, necnon multas puellas ac mulieres in difficultatibus versatas adiuvavit. Christianam religionem docuit in publicis scholis, Circuli Nationalis pro Vocationibus fuit consultor atque sacri moderatoris munere functus est apud Seminarium Maius Panormitanum. Parochus electus est ecclesiae Sancti Caietani et Beatae Ma-

riae Virginis a Divino Amore in vico natali suo, ubi, praeter cotidianum pastorale opus, suis praebuit fidelibus missiones ad populum, instructionem in theologia ac arte legendi et scribendi necnon voluntario servitio pro bono proximi. Ut alliceret iuvenes qui, bonis magistris saepe orbati, flagitiis erant obnoxii, ille constituit Circulum «Pater Noster» ad humanam et christianam eorum facultatem iudicandi fovendam. Auctoritatibus civilibus persuasit ut schola media, parvum valetudinarium necnon bibliotheca constituerentur ad socialibus necessitatibus consulendum. Tota eius vita firmiter et congruenter testata est bona Christiana ac humana principia, quae magnum habuerunt pondus in eius spiritalitatem, dum ministerium presbyterale suum constanter exercebat, iugiter Verbo Domini, Magisterio Pontificis et mandatis Pastorum Ecclesiae illuminatus. Omni ope atque opera enisus est in catechesi, oratione, sacramentorum administratione, quorum omnia ex Verbo Dei exoriebantur et eodem contendebant. Cum fiducia et studio praecipue operatus est ad conscientiam christifidelium formandam et processus instruendi fovendos, ut omnes certiores faceret de necessitate facinora et nefaria propulsandi, quatenus impediunt corporis spiritusque incrementum in societate. Tametsi multi eius inceptis religiosis et civilibus institutis consenserunt, eum tamen una voce in odio habuerunt principes factionum hominum perditissimorum in *Brancaccio* cunctique qui scelestis eorum oboediebant mandatis. Omnia reapse eius incepta minis et plagis deliberate adversabantur et eum tandem ad poenam mortis condemnarunt. Verumtamen Dei Servus, etsi territus, operibus instabat evangelizationis et promotionis humanae. Periculum tamen percipiebat. Domum rediens primo vesperi die XV mensis Septempris anno MCMXCIII, quinquagesimo scilicet die natali suo, octavam circiter horam post meridiem, autocineto in area stativa statuto, ad fores domus accedebat. Dum claves ex sinu proferebat, aliquis de vico obviam ei ivit et inquit, «Pater, praedatoris opera haec est!» Pater Iosephus subridens respondit, «hunc meum vitae exitum iamdudum praevidebam». Alterum maleficum hominem a tergo nequit videre qui furtim appropinquavit et ictum sclopeto misit in eum coniectu mortifero in cervicem. Tranquillitas animi, quam Dei Servus in puncto mortis ostendit, valde fortitudinem testatur eius fidei. Sanguine effuso, proclamavit Evangelium spei quod etiamnunc repercutitur in animis eorum qui noverant eum.

Martyrii fama per communitatem ecclesialem diffusa, Inquisitio dioecesana peracta est apud Curiam archidioecesis Panormitanae, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto die XVI mensis

Ianuariis anno MMIV promulgato. Voto favorabili Consultorum Theologorum habito in Congressu Peculiari diei X mensis Octobris anno MMVI, Patres Cardinales atque Episcopi, in Sessione Ordinaria congressi, agnoverunt mortem huius Venerabilis Servi Dei verum fuisse martyrium. Quapropter, die XXVIII mensis Iunii anno MMXII, Benedictus XVI iussit Congregationem de Causis Sanctorum ut promulgaret Decretum de martyrio, ac deinde statuit ut sollemnis ritus eius beatificationis Panhormi, in Italia, die XXV mensis Maii anno MMXIII, celebraretur.

Hodie igitur, in praedicta urbe, de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Dei Servum Iosephum Puglisi in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Pauli S.R.E. Cardinalis Romeo, Archiepiscopi Metropolitae Panormitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Iosephus Puglisi, presbyter dioecesanus, martyr, secundum cor Iesu pastor, insignis eius Regni iustitiae pacisque testis, evangelicus veniae ac pacis sator, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima prima mensis Octobris, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praestet praeclara huius martyris vita optimum fidei exemplum perspicuumque Dei gratiae testimonium omnibus et singulis christifidelibus quandocumque persecutiones patiuntur, ut Deo soli, qui est « refugium et virtus, adiutorium in tribulationibus » *(Ps* 46, 2), vitas suas concredant, quoniam ii gaudebunt et exsultabunt in caelis ubi merces copiosa erit et locuples.

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Maii, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.573

II

Venerabili Servo Dei Rolando Rivi Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, te desideravit caro mea. In terra deserta et arida et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea et in nomine tuo levabo manus meas » (*Ps* 63, 2-5).

Iuvenis Seminarii alumnus Rolandus Rivi, in vitae brevitate, totum suum densavit ardorem suamque in Dominum fidem, quocum se alte coniunctum sentiebat et sine eo neque brevissimum tempus vitae suae vivere potuit. Saevum martyrium quod subiit testimonium est sinceritatis et constantiae eius amoris.

Venerabilis Servus Dei die VII mensis Ianuarii anno MCMXXXI in loco *San Valentino di Castellavano* (Regiensis provinciae in Aemilia) est natus, in familia agricolarum qui cum paroecia arta vincula colebant. Sequenti post nativitatem die baptizatus est in ecclesia paroeciali sanctorum Eleucadii et Valentini. Die XXIV mensis Iunii anno MCMXLI christianam initiationem per sacramentum Chrismatis ad finem adduxit. Ab infantia, iuvamen accipiens tum a familia solide Christiana tum a sapienti curione Olinto Marzocchini, altam maturavit spiritualem sensibilitatem. Licet parvus Servus Dei esset, placuit ei varia paroeciae incepta participare, Missam serviendo eamque cum organo comitando atque parocho variis in circumstantiis assistendo. Eius in animo semper clarior et impellentior animadvertebatur ad sacerdotium vocatio, ideo anno MCMXLII alumnus factus est Seminarii Episcopalis in *Marola*, dioecesis Regiensis in Aemilia. Veluti alumnus firmus fuit et constans in sensibus suis, diligens in curriculis atque vivax in ludibus. Etiam in feriis aestivis suae vocationi conformis exstitit, cotidie Missam participans atque parochum in inceptis pastoralibus iuvans. Anno MCMXLIV, quandoquidem milites Germanici aedificium Seminarii occupaverunt, alumni suas in familias missi sunt. Etiam Rolandus in natalem pagum revertit, ubi

condicio semper peior quoad securitatem fiebat: nam illa in regione iam manifestabatur, per actus apertae violentiae, actio adversus Ecclesiam et sacerdotes ex parte militum tumultariorum doctrinam sequentium Marxistarum; aestate anni MCMLXIV idem parochus est percussus atque, suam ob incolumitatem, transferri debuit. Etiamsi Servus Dei conscius dubiae condicionis fuit et periculorum quibus occurrere potuit, tamen induere vestem talarem perrexit, signum fidelitatis sacerdotali vocationi, quam peculiari cum ardore sentiebat. Illi qui ei periculum ostendebat in quo identitatem alumni Seminarii demonstrans versabatur, minime derisus et insultationes timens nec non verisimiles effectus etiam tragicos, cum animi fortitudine respondere solebat: « Non possum, non debeo vestem relinquere. Non timeo, equidem de ea glorior. Non possum me abscondere, ad Dominum pertineo ». Die X mensis Aprilis anno MCMXLV, die Dominica in Albis, sanctam participavit Missam, sonans postremum illa occasione harmonium. Deinde suis cum voluminibus silvam adiit prope domum ad studendum. Parentes, cum ad prandium non reversus esset, quaesiverunt eum et in loco illo chartulam invenerunt in volumine clausam hac cum inscriptione: « Nolite quaerere eum, venturus est nobiscum militibus tumultauriis ». Revera captus est a sodalibus communistarum atque allatus in locum *Piane di Monchio,* in terra dioecesis Mutinensis, ubi culpa ei est tributa, illa videlicet sequendi Iesum. Inde vestem talarem ei detraxerunt, quam numquam relinquere voluerat, eum insultaverunt, percusserunt atque, odio super humanam pietatem praevalente, post tres dies vexationum, eum duobus occiserunt ictibus manuballistulae. Antequam mortuus est atque iam in corpore lividus, iuvenis Rolandus, ante fossam iam erutam, quoniam suae sortis ultimam intellexit destinationem, in genua procubuit, ad Dominum postremam dirigens orationem. Erat dies XIII mensis Aprilis anni MCMXLV.

Martyrii fama statim in populo Dei est diffusa. In archidioecesi Mutinensi-Nonantulana Inquisitio dioecesana super martyrio est peracta, quam Congregatio de Causis Sanctorum Decreto die XXXI mensis Novembris anno MMVII validam agnovit. Parata *Positione*, Consultores Theologi in Congressu peculiari die XVIII mensis Maii anno MMXII sententiam faventem dederunt et idem Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VIII mensis Ianuarii anno MMXIII congregati censuerunt. Nosmet Ipsi, die XXVII mensis Martii anno MMXIII, Congregationi de Causis Sanctorum facultatem dedimus

ut Decretum super martyrio promulgaret atque decrevimus ut Beatificationis ritus die v mensis Octobris anno MMXIII Mutinae perageretur.

Hodie igitur Mutinae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Rolandum Rivi adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Antonii Lanfranchi, Archiepiscopi Metropolitae Mutinensis-Nonantulani necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Rolandus Rivi, iuvenis Seminarii alumnus et martyr, Evangelii heroicus testis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die undetricesima mensis Maii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Beatus Rolandus Rivi, iuvenis et clarus Seminarii alumnus, brevissima in vita assidue in amore erga Dominum eiusque Ecclesiam progrediebatur atque difficilibus in circumstantiis belli diligentem ostendit spiritalem progressum. Martyrio quod subiit altam testificatus est cum Salvatore coniunctionem cui totum se ipsum fiduciose concredidit. Dum illius conspicimus spiritale iter, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Christi incitamur.

Quae autem decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Octobris, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 16.873

III

Servi Dei Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph necnon Sebastianus Llorens Telarroja, Christifidelis laicus, inter beatos martyres recensentur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et laverunt stolas suas in sanguine Agni» *(Ap* 7, 14).

Congregatio Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, quae cultum erga Nazarethanam Familiam et christianum tam iuvenum quam familiarum incrementum studiose promovendum curat, novum multifariam induxit impulsum per martyrium, cui occubuerunt undeviginti religiosi et unus iuvenis olim alumnus, dum annis MCMXXXVI-MCMXXXVII Hispanica adversus Ecclesiam saeviebat insectatio.

Ex illis, quindecim erant sacerdotes; quos inter tres erant sodales addicti gubernio generali Congregationis; duo moderatores communitatum et rectores insignium apud suas gentes institutorum; septem educatores, magistri et rectores Congregationum Marianarum tam scholarium quam postscholarium apud varia centra educationis; unus praecipue operam dabat cultui erga Sacram Familiam propagando ope praedicationis et preli; duo sodales theologiae studia paulo ante expleverant et sacrum presbyteratus ordinem receperant, nempe mense Martio anno MCMXXXVI. Praeterea tres iuvenes religiosi adhuc studiis theologiae sese applicabant; alius uti frater coadiutor vires insumebat in parvulis erudiendis; tandem iuvenis quidam laicus, qui alumnus fuerat Servi Dei Iacobi Puig, in agris colendis operabatur, et uti fervens christianus eminebat necnon apostolus iuventutis.

Omnes quidem ipso in religioso et sacerdotali ministerio exercendo morti occubuerunt; cum vero comprehensi sunt, in carcerem eiecti et vexati, fideles sese gesserunt, quapropter ob propriam fidem ipsiusque fidei odium interempti sunt. Fulgidum perhibuerunt testimonium christianae, religiosae ac sacerdotalis alacritatis, ignoscentes immo suis carnificibus horumque conversionem implorantes. Familiares, fratres in religione et amicos hortabantur ad suam mortem non lugendam, sed potius ad precandum ut, a

terrenis vinculis soluti, vera filiorum Dei libertate gaudere possent. Optabant enim ut martyrium pacis, veniae et reconciliationis esset semen, quod, ipsorum cruore irrigatum, in omnium cordibus germinaret.

I.– Martyres in *Blanes,* e dioecesi Gerundensi, die XXX mensis Iulii anno MCMXXXVI:

1. - *Iacobus Puig Mirosa,* presbyter, natus anno MCMVIII.
2. - *Sebastianus Llorens Telarroja,* laicus, natus anno MCMIX.

II.– Martyr in urbe *Barcinone,* die IX mensis Augusti anno MCMXXXVI:

3. - *Narcissus Sitjà Basté,* presbyter, natus anno MDCCCLXVII.

III.– Martyres in urbe *Ilerda* die XXI mensis Augusti anno MCMXXXVI:

4. - *Ioannes Cuscó Oliver,* presbyter, natus anno MDCCCLXXII.
5. - *Petrus Sadurni Raventós,* presbyter, natus anno MDCCCLXXXIII.

IV.– Martyres in *Vila-rodona,* ex archidioecesi Tarraconensi, die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI:

6. - *Firminus Martorell Víes,* presbyter, natus anno MDCCCLXXIX.
7. - *Franciscus Llach Candell,* presbyter, natus anno MDCCCLXXXIX.
8. - *Eduardus Cabanach Majem,* presbyter, natus anno MCMVIII.
9. - *Raimundus Cabanach Majem,* presbyter, natus anno MCMXI.

V.– Martyr in urbe *Cervera* (Ilerda), e dioecesi Celsonensi, die II mensis Septembris anno MCMXXXVI:

10. - *Ioannes Franquesa Costa,* presbyter, natus anno MDCCCLXVII.

VI.– Martyres in *Múnter et Granollers de la Plana* (Barcinone), e dioecesi Vicensi:

11. -*Sigismundus Sagalés Vilà,* religiosus, natus anno MDCCCLXXXVIII, martyr die VIII mensis Septembris anno MCMXXXVI.
12. -*Iosephus Vila Barri,* presbyter, natus anno MCMX, martyr die XXI mensis Septembris anno MCMXXXVI.

VII.– Martyres in *Sant Fruitós de Bages* (Barcinone), e dioecesi Vicensi, die XII mensis Aprilis anno MCMXXXVII:

13. -*Petrus Ruiz Ortega,* religiosus, natus anno MCMXII
14. -*Petrus Roca Toscas,* religiosus, natus anno MCMXVI.

VIII.– Martyres in *Montcada i Reixac* (Barcinone), in praesens dioecesis Terrassensis:

15. -*Petrus Verdaguer Saurina,* presbyter, natus anno MCMVIII, martyr die XV mensis Octobris anno MCMXXXVI.

16. -*Robertus Montserrat Beliart,* presbyter, natus anno MCMXI, martyr die XIII mensis Novembris anno MCMXXXVI.

17. -*Antonius Mascaró Colomina,* religiosus, natus anno MCMXIII, martyr die XXVII mensis Ianuarii anno MCMXXXVII.

18. -*Raimundus Llach Candell,* presbyter, natus anno MDCCCLXXV, martyr die XIX mensis Aprilis anno MCMXXXVII.

19. -*Iacobus Llach Candell,* presbyter, natus anno MDCCCLXXVIII, martyr die XIX mensis Aprilis anno MCMXXXVII.

20. -*Raimundus Oromí Sullà,* presbyter, natus anno MDCCCLXXV, martyr die XXVI mensis Aprilis anno MCMXXXVII.

Horum martyrii fama statim diffusa est, quae deinceps vivida permansit. Quapropter archiepiscopalis Curia Barcinonensis dioecesanam instruxit Inquisitionem. Summus Pontifex Benedictus XVI die X mensis Maii anno MMXII Decretum super martyrio edi iussit. Statuit denique ut ritus beatificationis in Hispania die XIII mensis Octobris anno MMXIII perageretur.

Quem diem Nos confirmavimus et Tarraconae sedem ritus praestituimus; itaque, de mandato Nostro, Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras, quibus a Nobis in fastis beatorum adscripti sunt Servi Dei Iacobus Puig et XIX Socii, qui pro fide tuenda vitam deposuerunt.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Episcopi Illerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Valera, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi

Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulii Rodríguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei: Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani; Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti; Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus; Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimarum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua; Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzóla et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo; Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus; Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solís, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum; Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani; Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis; Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum; Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris; Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus; Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora; Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis; Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani; Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus; Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum; Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus

Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici; Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter professus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi; Andreas a Palazuelo (in saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; Theophilus Fernández de Legaria Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris; Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum; Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus; Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul; Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professae Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis; Maria Assumpta (in saeculo: Iuliana González Trujillano) et II Sociae, religiosae professae Congregationis Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris; Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus; Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.; Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio; Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis; Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu; Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus; Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica; qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum no-

mine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignes hos caelites palam magnificare, qui eximias dederunt religiosae pietatis atque intrepidae fidei testificationes, cum suam vitam inpenderent in beneficium animorum et in salutarem Evangelii veritatem martyrii per testimonium demonstrandam.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Octobris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 20.522

IV

Venerabili Servae Dei Franciscae de Paula de Jesus, vulgo dictae «Nhà Chica», laicae, virgini, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Deus elegit, qui pauperes sunt mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit diligentibus se» *(Iac* 2, 5).

Venerabilis Serva Dei Francisca de Paula de Jesus, vulgo dicta «Nhà Chica», nata est anno MDCCCVIII in urbe Sancti Ioannis a Rege, in Brasiliensi statu *Minas Gerais*. Filia servae, baptizata est die XXVI mensis Aprilis anno MDCCCX et nomen recepit a S. Francisco de Paula. Puellula a matre Elisabeth orationes didicit devotionesque, at cum mulier et serva esset, nulla potuit suscipere litterarum rudimenta. Tempore adolescentiae, a servitute liberata, una cum matre et fratre Theotonio se transtulit in *Baependi*, urbem longe lateque crescentem, ubi paucos post menses matre est orbata. Multi uxorem eam ducere cupiebant, sed Francisca de Paula omnes recusavit, arbitrans quandam missionem sibi explendam. Idcirco sola vixit, ut sese orationi et pauperum ministerio dedicaret; neque simul cum fratre vivere voluit, qui interea in provincia politicae et oeconomiae progrediebatur. Adhuc iuvenis, iam sollicita fuit de pauperibus atque clara prudentiaque consilia offerebat eam quaerentibus. A fratre, qui anno MDCCCLXII obiit, uti universalis heres est designata, quod sivit ei caritativas socialesve extendere facultates. Itaque mox facta est humilis «Mater pauperum», ut appellabatur, accipere parata eos qui ad eam veniebant postulantes preces, consilia, consolationem et solamen. Tantum fidei gratia pro fratrum bono vitae prosperae ac sine difficultatibus renuntiavit. Etiamsi olim serva fuit servorumque proles, attraxit ad se cuiusque socialis coetus et politicae factionis personas, quae in ipsa Dei mulierem agnoscebant fide et caritate plenam. Domus eius multa per decennia invisebatur a hominibus simplicibus et consiliariis imperialibus, iuvenibus directionem quaerentibus atque peritis, pauperibus et divitibus, qui non solum de statu *Minas Gerais* veniebant, sed etiam ex proximo statu Sancti Pauli ac potissimum ex urbe tunc capite Rivi Ianuarii. Eius

spiritualitas signa habet evangelica, quoniam ponitur tantum super Dei et proximi amorem, modo simpliciore et naturali manifestatum.

Venerabilis Serva Dei die XIV mensis Iunii anno MDCCCXCV obiit. Corpus eius expositum est in ecclesia in urbe *Baependi* quattuor per dies, nullis datis signis decompositionis: itaque permissum est plurimis fidelibus undique concurrentibus ipsi postremam exhibere salutationem. Deinde in Immaculatae Conceptionis sacello sepulta est, quod ipsa exstruxit.

Ob continuatam et crescentem famam sanctitatis beatificationis Causa incohata est apud episcopalem Curiam Campaniensem in Brasilia per Inquisitionem dioecesanam. Cum de causa antiqua ageretur, etiam sessio Consultorum Historicorum Congregationis facta est. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria coadunati iudicarunt Venerabilem Servam Dei virtutes heroum in modum exercuisse. Summus Pontifex Benedictus XVI facultatem tribuit Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum super virtutibus promulgaret die XIV mensis Ianuarii anno MMXI atque mirum confirmavit intercessioni eius adscriptum. Deinde statuit ut beatificationis ritus in urbe *Baependi* in Brasilia die IV mensis Maii anno MMXIII ageretur.

Hodie igitur in urbe *Baependi* de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Franciscam de Paula de Jesus in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Adamantini Prata de Carvalho, O.F.M., Episcopi Campaniensis in Brasilia, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Francisca de Paula de Jesus, vulgo dicta « Nhà Chica », laica, virgo, mulier assiduae orationis, perspicax testis misericordiae Christi erga indigentes corpore et spiritu, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die quarta decima Iunii, qua in caelum est nata, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Maii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ Petrus Parolin
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.109

V

Servo Dei Nicolao Rusca Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit» (*Mt* 10, 22).

Hic Dei Servus bonum exemplum attulit veri pastoris qui vitam pro ovibus dat ut veritatem Evangelii perennem martyrio testificetur.

Ille ortus est in municipio *Bedano* vulgo dicto die XX mensis Aprilis anno MDLXIII prope Luganum (Ticinum) quod eo tempore ad dioecesim Comensem pertinebat. Studiis apud Collegium Helveticum Mediolani perfectis, sacerdos constitutus est anno MDLXXXVII. Insequenti anno parochus factus est paroeciae regionis *Sessa-Monteggio* in Ticino. Humanis et spiritalibus dotibus necnon magno pastorali studio eius conspectis, anno MDXC translatus est ad magni aestimatum archipresbyteratum Sundrii, urbis primariae Vallis Telinae, quae eo tempore ad Rempublicam Trium Ligarum pertinebat, hodie autem inter Grisonum Pagum circumscribitur. Eo in loco usque ad mortem mansit. Interea omnes vires intendit in servitium illius frequentis paroeciae inter Planitiem Padanam et Helvetiam sitae. Dum gregem catholicum Sundrii curabat, studiose dedit operam ut sacramenta administrarentur, adulti christiani per catechesim docerentur necnon in fidem corrobarentur ac bona Ecclesiae attente custodirentur. Insuper prudentia et aequilibrio usus est in regione ubi conflictus inter confessiones haud raro exoriebantur. Numquam dubitavit cum Reformatis colloqui. Enimvero fides multorum catholicorum confirmabatur gratia eruditionis theologicae qua ille est usus in disceptationibus. Eluxit tamquam presbyter exemplaris et super Iesum Pastorem aedificatus et a Concilio Tridentino propositus. Cum aliarum confessionum pastores eorumque sectatores uberum fructum ex eius labore animadvertissent, in odio eum habere coeperunt. A duobus profecto criminibus a Reformatis in se allatis integre absolutus, ipse alios deinde fratres sacerdotes accusatos feliciter defendit, qua de causa nonnulli eius nemici constituerunt se auctuositatem apostolicam in hunc parochum scelerate vindicare. Ideo noctu inter dies XXIV et XXV mensis

Iulii anno MDCXVIII, quidam coetus virorum armatorum, a pastore Reformato ductus, domum archipresbyteralem circumdederunt Servumque Dei ceperunt. Deinde eum ad Curiam Raetorum deduxerunt, ubi in solitariam custodiam eum mandaverunt fere per mensem. Postea translatus est in Tosanam ut iudicium subiret apud tribunal speciale. Hoc enim in tribunali novem fuerunt ministri partis extremae synodi Pastorum Cinereorum, ad severitatem Calvinianam allecti, qui iudicium contra Dei Servum coactare potuerunt. Cum vero causidici ex Sundrio reiecti sint, oportuit Servus Dei seipsum defenderet.

Tametsi cunctas accusationes refellit, tormento tamen funium subiit diebus III et IV mensis Septembris. Cum persecutores petivit ut se sacramentaliter confiteretur ac Eucharistiam acciperet, pastores Reformati eum deriserunt atque tormenta in eum eo atrocius reddiderunt ut Nicolaus Rusca, archipresbyter Sundrii, mortuus sit de suppliciis sibi inflictis.

Crescente autem in dies martyrii eius fama et priscis conflictibus religionibus demum solutis, primus cuius animum vita Nicolai Rusca excitavit fuit Pater Aloisius Guanella, hodie Sanctus. Sed tribunal in dioecesi Comensi componendum ut Processus Ordinarius ageretur non ante Kalendas Februarias anni MCMXXXI est compositum. Die XXIII mensis Maii anno MCMXCVII Congregatio de Causis Sanctorum Processum Informativum et Supplementum Inquisitionis dioecesanae valida declaravit. Consultores Historici, die VI mensis Maii MMIII congressi, et Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die XXVII mensis Martii anno MMIX congressi, votum favens protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei XI mensis Novembris anno MMXI mortem Servi Dei verum martyrium iudicaverunt. Benedictus XVI mandavit ut super martyrio Servi Dei Decretum die X mensis Decembris anno MMXI conscriberetur statuitque ut sollemnis ritus eius beatificationis Sundrii die XXI mensis Aprilis anno MMXIII celebraretur.

Hodie igitur, in praedicta urbe, de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Dei Servum Nicolaum Rusca in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Didaci Coletti, Episcopi Comensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servus Dei Nicolaus Rusca, martyr,

sacerdos dioecesanus, pastor secundum Cor Christi, prorsus animarum bono deditus, pro quibus propriam vitam tradere non haesitavit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die quarta mensis Septembris, qua in caelum natus est, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Aprilis, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 33.900

EPISTULA APOSTOLICA

Ad Christifideles Orientis Propinqui.

Cari fratelli e sorelle,

«Sia benedetto Dio, Padre del Signore nostro Gesù Cristo, Padre misericordioso e Dio di ogni consolazione! Egli ci consola in ogni nostra tribolazione, perché possiamo anche noi consolare quelli che si trovano in qualsiasi genere di afflizione con la consolazione con cui noi stessi siamo consolati da Dio».[1]

Mi sono venute alla mente queste parole dell'apostolo Paolo quando ho pensato di scrivere a voi, fratelli cristiani del Medio Oriente. Lo faccio nell'imminenza del Santo Natale, sapendo che per molti di voi alle note dei canti natalizi si mescoleranno le lacrime e i sospiri. E tuttavia la nascita del Figlio di Dio nella nostra carne umana è ineffabile mistero di consolazione: «È apparsa la grazia di Dio, che porta salvezza a tutti gli uomini».[2]

L'afflizione e la tribolazione non sono mancate purtroppo nel passato anche prossimo del Medio Oriente. Esse si sono aggravate negli ultimi mesi a causa dei conflitti che tormentano la Regione, ma soprattutto per l'operato di una più recente e preoccupante organizzazione terrorista, di dimensioni prima inimmaginabili, che commette ogni sorta di abusi e pratiche indegne dell'uomo, colpendo in modo particolare alcuni di voi che sono stati cacciati via in maniera brutale dalle proprie terre, dove i cristiani sono presenti fin dall'epoca apostolica.

Nel rivolgermi a voi, non posso dimenticare anche altri gruppi religiosi ed etnici che pure subiscono la persecuzione e le conseguenze di tali conflitti. Seguo quotidianamente le notizie dell'enorme sofferenza di molte persone nel Medio Oriente. Penso specialmente ai bambini, alle mamme, agli anziani, agli sfollati e ai rifugiati, a quanti patiscono la fame, a chi deve affrontare la durezza dell'inverno senza un tetto sotto il quale proteggersi. Questa sofferenza grida verso Dio e fa appello all'impegno di tutti noi, nella preghiera e in ogni tipo di iniziativa. A tutti voglio esprimere

[1] *2 Cor* 1, 3-4.
[2] *Tt* 2, 11.

la vicinanza e la solidarietà mia e della Chiesa, e offrire una parola di consolazione e di speranza.

Cari fratelli e sorelle, che con coraggio rendete testimonianza a Gesù nella vostra terra benedetta dal Signore, la nostra consolazione e la nostra speranza è Cristo stesso. Vi incoraggio perciò a rimanere attaccati a Lui, come tralci alla vite, certi che né la tribolazione, né l'angoscia, né la persecuzione possono separarvi da Lui.[3] Possa la prova che state attraversando fortificare la fede e la fedeltà di tutti voi!

Prego perché possiate vivere la comunione fraterna sull'esempio della prima comunità di Gerusalemme. L'unità voluta dal nostro Signore è più che mai necessaria in questi momenti difficili; è un dono di Dio che interpella la nostra libertà e attende la nostra risposta. La Parola di Dio, i Sacramenti, la preghiera, la fraternità alimentino e rinnovino continuamente le vostre comunità.

La situazione in cui vivete è un forte appello alla santità della vita, come hanno attestato santi e martiri di ogni appartenenza ecclesiale. Ricordo con affetto e venerazione i Pastori e i fedeli ai quali negli ultimi tempi è stato chiesto il sacrificio della vita, spesso per il solo fatto di essere cristiani. Penso anche alle persone sequestrate, tra cui alcuni Vescovi ortodossi e sacerdoti dei diversi Riti. Possano presto tornare sane e salve nelle loro case e comunità! Chiedo a Dio che tanta sofferenza unita alla croce del Signore dia frutti di bene per la Chiesa e per i popoli del Medio Oriente.

In mezzo alle inimicizie e ai conflitti, la comunione vissuta tra di voi in fraternità e semplicità è segno del Regno di Dio. Sono contento dei buoni rapporti e della collaborazione tra i Patriarchi delle Chiese Orientali cattoliche e quelli ortodossi; come pure tra i fedeli delle diverse Chiese. Le sofferenze patite dai cristiani portano un contributo inestimabile alla causa dell'unità. È l'ecumenismo del sangue, che richiede fiducioso abbandono all'azione dello Spirito Santo.

Che possiate sempre dare testimonianza di Gesù attraverso le difficoltà! La vostra stessa presenza è preziosa per il Medio Oriente. Siete un piccolo gregge, ma con una grande responsabilità nella terra dove è nato e si è diffuso il cristianesimo. Siete come il lievito nella massa. Prima ancora di tante opere della Chiesa nell'ambito scolastico, sanitario o assistenziale,

[3] Cfr *Rm* 8, 35.

da tutti apprezzate, la ricchezza maggiore per la Regione sono i cristiani, siete voi. Grazie della vostra perseveranza!

Il vostro sforzo di collaborare con persone di altre religioni, con gli ebrei e con i musulmani, è un altro segno del Regno di Dio. Il dialogo interreligioso è tanto più necessario quanto più difficile è la situazione. Non c'è un'altra strada. Il dialogo basato su un atteggiamento di apertura, nella verità e nell'amore, è anche il migliore antidoto alla tentazione del fondamentalismo religioso, che è una minaccia per i credenti di tutte le religioni. Il dialogo è al tempo stesso un servizio alla giustizia e una condizione necessaria per la pace tanto desiderata.

La maggior parte di voi vive in un ambiente a maggioranza musulmana. Potete aiutare i vostri concittadini musulmani a presentare con discernimento una più autentica immagine dell'Islam, come vogliono tanti di loro, i quali ripetono che l'Islam è una religione di pace e può accordarsi con il rispetto dei diritti umani e favorire la convivenza di tutti. Sarà un bene per loro e per l'intera società. La situazione drammatica che vivono i nostri fratelli cristiani in Iraq, ma anche gli yazidi e gli appartenenti ad altre comunità religiose ed etniche, esige una presa di posizione chiara e coraggiosa da parte di tutti i responsabili religiosi, per condannare in modo unanime e senza alcuna ambiguità tali crimini e denunciare la pratica di invocare la religione per giustificarli.

Carissimi, quasi tutti voi siete cittadini nativi dei vostri Paesi e avete perciò il dovere e il diritto di partecipare pienamente alla vita e alla crescita della vostra nazione. Nella Regione siete chiamati ad essere artefici di pace, di riconciliazione e di sviluppo, a promuovere il dialogo, a costruire ponti, secondo lo spirito delle Beatitudini,[4] a proclamare il vangelo della pace, aperti alla collaborazione con tutte le autorità nazionali e internazionali.

Desidero esprimere in modo particolare la mia stima e la mia gratitudine a voi, carissimi fratelli Patriarchi, Vescovi, Sacerdoti, Religiosi e sorelle Religiose, che accompagnate con sollecitudine il cammino delle vostre comunità. Quant'è preziosa la presenza e l'attività di chi si è consacrato totalmente al Signore e lo serve nei fratelli, soprattutto i più bisognosi, testimoniando la sua grandezza e il suo amore infinito! Com'è importante la presenza dei Pastori accanto al loro gregge, soprattutto nei momenti di difficoltà!

[4] Cfr *Mt* 5, 3-12.

A voi, giovani, mando un abbraccio paterno. Prego per la vostra fede, per la vostra crescita umana e cristiana, e perché i vostri progetti migliori possano realizzarsi. E vi ripeto: «Non abbiate paura o vergogna di essere cristiani. La relazione con Gesù vi renderà disponibili a collaborare senza riserve con i vostri concittadini, qualunque sia la loro appartenenza religiosa».[5]

A voi, anziani, faccio giungere i miei sentimenti di stima. Voi siete la memoria dei vostri popoli; auspico che questa memoria sia seme di crescita per le nuove generazioni.

Vorrei incoraggiare quanti tra voi operano negli ambiti molto importanti della carità e dell'educazione. Ammiro il lavoro che state facendo, specialmente attraverso le Caritas e con l'aiuto delle organizzazioni caritative cattoliche di diversi Paesi, aiutando tutti senza preferenze. Attraverso la testimonianza della carità, voi offrite il più valido supporto alla vita sociale e contribuite anche alla pace di cui la Regione è affamata come del pane. Ma anche nell'ambito dell'educazione è in gioco il futuro della società. Quanto è importante l'educazione alla cultura dell'incontro, al rispetto della dignità della persona e del valore assoluto di ogni essere umano!

Carissimi, pur se pochi numericamente, siete protagonisti della vita della Chiesa e dei Paesi in cui vivete. Tutta la Chiesa vi è vicina e vi sostiene, con grande affetto e stima per le vostre comunità e la vostra missione. Continueremo ad aiutarvi con la preghiera e con gli altri mezzi a disposizione.

Nello stesso tempo continuo a esortare la Comunità internazionale a venire incontro ai vostri bisogni e a quelli delle altre minoranze che soffrono; in primo luogo, promuovendo la pace mediante il negoziato e il lavoro diplomatico, cercando di arginare e fermare quanto prima la violenza che ha causato già troppi danni. Ribadisco la più ferma deprecazione dei traffici di armi. Abbiamo piuttosto bisogno di progetti e iniziative di pace, per promuovere una soluzione globale ai problemi della Regione. Per quanto tempo dovrà soffrire ancora il Medio Oriente per la mancanza di pace? Non possiamo rassegnarci ai conflitti come se non fosse possibile un cambiamento! Sulla scia del mio pellegrinaggio in Terra Santa e del successivo incontro di preghiera in Vaticano con i Presidenti israeliano e palestinese, vi invito a continuare a pregare per la pace in Medio Oriente. Chi è stato costretto a lasciare le proprie terre, possa farvi ritorno e vivere in dignità

[5] Benedetto XVI, Esort. ap. *Ecclesia in Medio Oriente*, 63.

e sicurezza. L'assistenza umanitaria possa incrementarsi, ponendo sempre al centro il bene della persona e di ogni Paese nel rispetto della sua identità propria, senza anteporre altri interessi. Che la Chiesa intera e la Comunità internazionale diventino sempre più consapevoli dell'importanza della vostra presenza nella Regione.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam pueri sanationem subiecit, quae die 4 mensis Iulii anno 1999 in pago v.d. *Cilavegna* apud Papiensem civitatem evenit. Puer enim quadragesimum fere diem post ortum signa intestini intolerantis, ponderalis decrementi, insomniae denique urticariae ostendere

incepit. Aliquas post hebdomades pueri valetudo in peius versa est et demissio corporis caloris supervenit. Recepto puero in Viglebanensi valetudinario, medici morbi signa cognoverunt et denuntiaverunt dyspepsiam seu vitium stomachi lac vaccinii et soiae non concoquentis. Quamvis morbo curae et regimen victus adhiberentur, tamen accessit pericolosa allergiae crisis cum dermatite, incrementum urticariae, ponderis demissio et insomnia, post quod secuti sunt et aurium inflammationes, cibi fastidium et alvi duritia. Puer autem summa in virium defectu videbatur et sollicitudo augebatur, quia, etsi pueri pater medicus esset, nulla curatio utiliter adhiberi licuit.

Istis in adiunctis eo magis ingravescentibus, mater programma televisificum forte aspexit, in quo de Matre Spe a Iesu et de aquis Amoris Miserentis, quae iuxta Sanctuarium Collis Etrusci scaturiunt, loquebatur. Per patruum sacerdotem, Dei Providentia, iuxta Collem Etruscum spiritualia exercitia praestantem, aqua e fonte habuerunt et puer die 28 mensis Iunii eam haurire potuit. Patruus magnus iuxta sepulcrum Servae Dei sic oravit «*Quaeso, illum puerum adopta, quia te opus est*». Die Domini 24 mensis Iulii anno 1999, parentes et familiares convenerunt ad primum diem natalem pueri celebrandum et illic fide ducti, qualemcumque cibum puero victu porrixerunt, percipientes quod aliquid miri futurum erat. Hinc puer naturaliter et sine morbi maculis crebuit.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam Viglebanensem a die 25 mensis Maii ad diem 16 mensis Iunii anno 2001 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Ianuarii anno 2002 est approbata. Deinceps acta novis medico-scientificis documentis collustrata sunt, ita ut in sequentibus Consiliis Medicis, diei 1 mensis Aprilis et diei 14 mensis Iunii anno 2012, sanationem ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse declaraverint. Die 17 mensis Novembris anno 2012, positivo cum exitu, peculiaris Consultorum Theologorum Congressus auctus est. Die 18 mensis Iunii anno 2013 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati sunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Spei a Iesu (in saec.: Mariae Iosephae Alhama Valera), Fundatricis Congregationum Ancillarum Amoris Miserentis et Filiorum Amoris Miserentis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri a « intolleranza alimentare multipla alle proteine ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI GERMANI

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Elisabethae Turgeon Fundatricis Congregationis Sororum a Domina Nostra Sancti Rosarii de Sancto Germano (1840-1881)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, et ut perficiam opus eius » (*Io* 4, 34).

Serva Dei Maria Elisabetha Turgeon die 7 mensis Februarii anno 1840 Bellomontii prope civitatem *Lévis* in Quebecensi provincia Canadensis nationis, quinta ex decem filiis, nata est. Cum optimo admodum indueretur ingenio, studia valde perseverare cupivit, sed praematura mors patris eam modo quindecim annos natam perpulit, ut tantum propositum suum ad tempus seponeret. In quattuor iunioribus ergo sororibus educandis maternae operi subveniens apud larem degit. Iuvenili aetate illa autem Maria Elisabetha corroboratae suipsius fidei profectum iam patenter exhibuit.

Vicesimum primum aetatis agens annum, Scholam Formationis Docentium *Laval* in *Québec* demum frequentare valuit, ut sese ad magisterium exercendum compararet. Intervallis quibusdam salutis causa sane intermissis, Serva Dei anhelatum titulum magistrae proficienter adepta est. Anno 1863, scholae in vico Sancti Romualdi de *Etchemin* moderandae, haud longe scilicet a domestica sede, sumpsit onera, quae feliciter adimplevit, licet bis contra aspexerit mortem et magisterium ipsum in annum eam deserere fuerit necesse. Exeunte anno scholastico 1871-1872, infirmitas eam in hoc officium in perpetuum remittendum adegit.

Valetudine resumpta, Maria Elisabetha aulam scholae privatae in Paroecia S. Rochi in *Québec* aperuit, quam nec vero quidem valuit retinere. Praefidens ad divinum confugit auxilium per intercessionem « bonae sanctae Annae » et professa est se gratuito, si impetravisset sanationem, in vico Sanctae Annae de *Beaupré* praecipientis daturam esse operam. Ad huic promisso satisfaciendum, Dominus Ioannes Langevin, qui episcopus Sancti Germani interdum electus erat, ab ea petiit, ut informaturam parvam institutricum gereret societatem. Et quamquam Elisabetha ob infirmam valetudinem suam annuere nequiit, tertio tamen instante Episcopo, hanc quasi

voluntatem esse Dei percepit, qui eam ad vitam religiosam amplectendam vocabat. Nam, magna munerum suscipiens molimina, in libellis suis « infinita Dei fides » scriptum reliquit.

Proinde, ad civitatem v. d. *Rimouski* die 3 mensis Aprilis anno 1875 Maria Elisabetha accessit, quam piae quaedam praevenerant puellae, e quibus soror eius Ludovica Turgeon. Huic coetui Dominus Langevin nomen mox tribuerat Sororum a Parvis Scholis et Mariae Elisabethae propositum suum bonas instituendi praeceptrices confisus erat, quae responsum ad necessitatem institutionis christianae puerorum pauperum in agris fovendae accomodatum darent. Die 12 mensis Septembris anno 1879, Serva Dei cum duodecim sociis vota perpetua professa est. Exinde, in religione, Christum tamquam Sponsum animae suae aspexit, cui nihil ipsa poterat denegare.

Ambitio eius fuit conversationis vitae ad Dei voluntatem accommodatio, quam in cotidianis rebus et in auctoritatis et Spiritus consiliis experiebatur. Cum Superiorissa nominata esset, Soror Maria Elisabetha enisa est, ut Congregationem explicatis normis legis fulciret, charta scilicet civili, constitutionibus, Sororum conversationis regulis in missionibus ineundis et in scholis moderandis. Anno 1880, pauperrimis etsi in adiunctis tres fundavit « missiones » ac scholam liberam in eadem urbe *Rimouski* deinde aperuit, ubi novitiae sese ad magisterium pararent.

Caritas equidem virtus fuit vitam eius quasi conglutinans. Maria Elisabetha enim, amare didicit studendo, ut amaretur. Omnes diligebat, praesertim Sorores, quas summa cura ac benignitate universas colebat pro earum salute iugiter enixa ac de earum requisitis sedula. Quae ex dulcedine caritas eius constabat: aliqua ex Sociis recordata est eam « sine iracundia et indignatione » quidlibet dimittere et quidlibet a quolibet pati. Cum valetudo eius cum institutricis vitae requisitis minime congrueret, Maria Elisabetha praecellentem morum virtutem ac fortitudinem ostendit egregiam: nam, lepor eius constans et aequitas vultus corporis sueta sinebant tormenta apparere nulla atque eam summopere divino lumini oportuit communicare, ut studiis interdiu noctuque attenderet et orationi sub lumen cerei laboribus operibusque ad necessaria haec per parvula manupretia procuranda. Mater Maria Elisabetha patientia et gaudio famem pertulit frigidumque et infirmitatem atque ad instar Iesu Christi pro calumniis aliquorum obieciit silentium.

Infirma autem Servae Dei amplius pati non potuit valetudo. Coram morte, testimonium Sororibus dedit summae suipsius oblationis Domino,

qui ultimum ei commiserat monitum ad easdem. Nam, moribunda iamiam omnia adloquia cumulavit in mandatum Iesu: «Sorores meae, adhortor vos, ut praesertim communionem excolatis et caritatem fraternam: quod si communitas ex communione constat et pax inter sodales eius dominatur, tum caelum est in terra». Die 17 mensis Augusti anno 1881, quadraginta et unum annos nata, pie in Domino quievit.

Ob sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Episcopalem Sancti Germani-Rimouski inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae anno 1994, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 9 mensis Decembris anno 1994 probatae sunt. *Positione* confecta, die 27 mensis Novembris anno 2001 habita est Sessio Consultorum Historicorum et die 27 mensis Aprilis anno 2012 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 1 mensis Octobris anno 2013, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Elisabethae Turgeon, Fundatricis Congregationis Sororum a Domina Nostra Sancti Rosarii de Sancto Germano, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FUNCHALENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Sancto Francisco (in saec.: Mariae Ioannae Wilson) Fundatricis Congregationis Sororum Sancti Francisci a Domina Nostra Victoriarum (1840-1916)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quantum possumus benefaciamus et multum rogemus, ut in omnibus glorificetur Deus et adoretur».

Haec verba Serva Dei Maria a Sancto Francisco instanter filiabus dictitabat suis, sollicitudinem pro regni Dei augmento participans. Maria Ioanna Wilson mulier pernobilis fuit animi, fecundis moribus amplaquae humanitatis doctrina praedita ac multis naturae ditata donis, quae divinae gratiae auxilio cumulanda curavit. Et anima quoque fuit admodum eucharistica, ad Beatissimam Mariam Virginem filiali pietate provoluta atque vera soror Sancti Francisci Assisiensis. Omnis vita eius pacem ubique irradiavit sicut et fidem Patris caelestis et oblationem Dei voluntati eiusdemque gloriae ardorem. Pura fuit et hilaris, tacita alacrisque, sedula quasi matercula atque audax instar prophetae. Innumeris in navitatibus pro pauperibus et aegrotis et pueris et senibus atque omnibus evangelici nuntii egenis summopere molita est et cor habuit vere catholicum et equidem universale: nam, India eam genuit, Anglia crevit, Europa et Terra Sancta tetigerunt, Materia insula rapuit, quae vere sese universo orbi patuit. Quisquis ipsi obvius esset, bonitatis suae vi in eundem exundabat.

Serva Dei die 3 mensis Octobris anno 1840 in civitate vulgo *Hurryhur* intra fines Mysuriae regionis in India ex anglis religiosis institutis funditus informatis parentibus claris natalibus orta est. Insequenti die 18 eiusdem mensis Octobris ad baptismalem fontem in Ecclesia anglicana regenerata est. Matre praemature mortua, anno 1842 pater eam patruorum in Anglia curis commisit. Iam inde a pueritia Maria Ioanna studio una ac religioni, in qua singularem quandam coluit pietatem, prompta fuit. Probitas naturae, amor veritatis, exquisitio simplicitatis, lectio ac meditatio Sacrae Scripturae et prudens moderatio presbyteri ex Ordine Sanctissimi Redemptoris eam tractim ad catholicam verterunt fidem, cuius doctrinae summam perceperat unitatem.

Nocte quadam precationis, tenebrarum certaminisque ad reliqua de vera praesentia Christi in Sanctissima Eucharistia superanda dubia, Beatae Mariae Virginis Reginae Victoriarum invocata intercessione, Serva Dei die 30 mensis Aprilis anno 1873 gratiam conversionis redemit et, die 11 mensis Maii eiusdem anni, in Ecclesia catholica sub condicione baptizata est ac Primam Communionem recepit necnon, die 8 insequentis mensis Iunii, sacramentum Confirmationis. In toto itinere suo spirituali Sanctum Franciscum Assisiensem typum habuit et exemplar, cuius Regulam tandem die 19 mensis Martii anno 1875 in Tertio Ordine professa est.

Peculiari Providentiae consilio, die 26 mensis Maii anno 1881, Maria Ioanna ad Materiam insulam advenit, ut infirmae cuiusdam dominae anglae munere fungeretur ministrae. Eo in venusto simul et paupertati adstricto aequore ponti Serva Dei plenitudinem vocationis suae adepta est. Episcopus Dioecesis Funchalensis eam in Ecclesiae localis servitio iamiam illigavit, quae mira cum apostolicae caritatis sollicitudine ad officium doctrinae pueris tradendae et ad aegrotos apud eorundem domos visitandos se contulit. Iuvenibus quibusdam puellis insulanis in actuosae caritatis operibus sociatis, die 15 mensis Ianuarii anno 1884 initium dedit Congregationi Sororum Sancti Francisci a Domina Nostra Victoriarum, quae ad perpetuam memoriam dicitur gratiae conversionis Matris Dei intercessione ab ipsa obtentae.

Die 15 mensis Iulii anno 1891, Sororis Mariae a Sancto Francisco sumpto nomine, vota religiosa perpetua professa est et apud antiquum Valetudinarium Misericordiae inservire cepit. Funchaliae dispensarium gratuitum, orphanorum hospitium Sanctae Elisabeth et Collegium Sancti Georgii fundavit.

Caritas Servae Dei heroum modo in luibus varioli ac pestis pulmonariae fulsit, quae inter menses Martii et Septembris anno 1907 populum Materiae dire vexaverunt, cum in nosocomio Funchaliensi pro peste infectis curandis supra quadringentos accepit infirmos et auxilio sociarum curavit moribundos. Hanc propter miram ac navam benignitatem, rex Lusitaniae Servam Dei, quam omnes Bonae Materculae acclamabant nomine, tituli Equitis ex Ordine Turris ac Spathae Virtutis, Fidelitatis et Meriti causa honore honestavit. Quae autem elogia altissimam Mariae Ioannae nihil attigerunt humilitatem.

Tristia lugendaque quaedam virtutem huius fortis corroboraverunt mulieris. Nam, ineunte mense Octobris anno 1910, instituta religiosa omnia in Lusitania Republica suppressa sunt ac professi advenae exinde expulsi. Die 14 mensis Octobris anno 1910, ipsa apprehensa est, Funchaliae in Arce Sancti

Laurentii conclusa et quadriduo post in Angliam submota, unde Sorores disiectas sustinere perseveravit et supplicibus litteris consolata est. Die 1 mensis Novembris anno 1911, Mater Maria Ioanna Materiam autem repetere valuit et una cum Sororibus, quae fideles perstiterant, vota occulte renovare.

Anno 1916, Episcopus dioecesanus ab ea petiit, ut novissimam ipsi donaret sollicitudinem et parvum Seminarium in loco Municipio Luporum, vulgo *Câmara de Lobos* nuncupato, aperiendum curaret. Quod illa, licet iamiam senex et viribus esset infracta, perlaetanter suscepit. Interdum, valetudo eius vero in peius ruit et, Infirmorum Unctionis accepto sacramento, die 18 mensis Octobris anno 1916 in eodem loco pie obiit.

Sacrae Scripturae meditationi iam puellula assueta, Maria Ioanna Verbum Dei fidei suae conversationis adeo fecit lapidem et fundamentum, ut sponte ex ore suo et calamo librorum sacrorum exirent sententiae. Magno exarsit Ecclesiae amore una et ad Evangelii Christi nuntiandi sollicitudinem. Spiritualitas eius magnitudinem vere oecumenicam induit et promptam etiam in eos qui ad alias Ecclesias pertinerent. Quibus numquam vita eget, iisdem in certaminibus exhibuit fortitudinem, constantiam, spiritum sacrificii, patientia et magnanimitatem, sicuti Sororibus expromebat dicens: «*Consistendum est nobis in divina dilectione, sicuti parvulae in medio ponti evenit insulae, quae, dum undique procellae quassant, semper eadem perstat*». Et aequum semper servavit gaudium, cum asserebat: «*Si est virtus in mundo nobis quaerenda, haec vere gaudium est*». Speculum eius Virgo Maria fuit, quam summa filiae pietate dilexit: ab ea exemplum discens suipsius divinae voluntati oblationis eidemque confisa est tamquam Matri Dei excelsae ac Matri Victoriarum, quam in conversione experta est.

Ob continuatam et in annos auctam sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Episcopalem Funchalensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 18 mensis Augusti anno 1991 ad diem 30 mensis Aprilis anno 1993, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 28 mensis Ianuarii anno 1994 probatae sunt. *Positione* confecta, die 27 mensis Octobris anno 1998 in Sessione Consultorum Historicorum et die 25 mensis Maii anno 2012 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 1 mensis Octobris anno 2013, cui egomet ipse Angelus Card. Amato praefui, professi

sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae a Sancto Francisco (in saec.: Mariae Ioannae Wilson), Fundatricis Congregationis Sororum Sancti Francisci a Domina Nostra Victoriarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLORENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Eleonorae Giorgi (in saec.: Mariae Angelae) Sororis Professae Congregationis Servarum Mariae Virginis Perdolentis de Florentia (1882-1945)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«O Iesu, deliciae cordis mei, ubicumque anima salvanda est, ei adesse velim, ut te cognoscat et diligat».

Haec verba, a Serva Dei Maria Eleonora scripta dum adhuc iuvenilem agebat aetatem, indicant summam eius mirandae pietatis, quae ex intima sacratissimi cordis Christi meditatione notas mysticae «experientiae» attingebat.

Dei Serva e parentibus pauperibus et vere religiosis, secunda duodecim filiorum, anno 1882 die 16 mensis Ianuarii apud pagum v.d. *Firenzuola,* in loco *Scheggianico,* ditionis florentinae, orta est. In baptismate nomen Mariae Angelae ei datum est. Iuxta christianae vitae principia in sua humili familia est educata.

Ob familiae rerum inopiam, cum ad quindecim annorum aetatem pervenisset, domo paterna relicta, Florentiam se contulit, ut munera ancillae exerceret in quodam palatio, sanctuario divae Mariae ab angelo Salutatae propinquo, ubi optime se habuit.

At, primo anno vix elapso, gravi febri affecta, in valetudinarium delata, tipho affici est reperta. Brevi vero elapso tempore, alterna vice vel melius vel peius se habuit, et praesertim aliquid mysticum tunc ei comparuit. Ipsa Dei Serva enarravit se quamdam «Dominam albam» vidisse, quae, in incerta loci claritudine, ei promisit valetudini ipsam restitutam fore, si sibi consecraretur.

Tandem Angela, iuvenis viginti annorum mulier, consilium sui parochi secuta, una cum duabus sociis Florentiae Congregationi Sororum «B. Mariae Virginis Perdolentis» adhaesit. Anno vero 1906, habito ipsarum Sororum induta, nomen Mariae Eleonorae assumpsit.

Sutoriae et acu pictoriae artis primo magistra, hanc puellas docuit; dein ad aliam Congregationis domum se contulit in pago *Castiglione dei Pepoli* prope Bononiam. Paulo post, huius domus superiorissa alio translata, eius

munus Mariae Eleonorae commissum est. Propriam timiditatem devincens, qua se ineptam putabat, per quattuor annos huius domus regimen exercuit.

Die 30 Decembris anno 1915 vota perpetua emisit et mense Decembri anno 1917 ad pagum *Calenzano* se contulit. Ibi, praeter alia munera, curam gessit in valetudinario florentino pro vulneratis et aegrotis militibus, a prima acie belli mundialis confluentibus.

Tunc temporis terribilis morbus saeviebat, vulgo dictus « influenza spagnola », qui in Europa innumeris exitio fuit: huiusmodi morbo affectis subveniendo, soror Maria Eleonora in eumdem incidit et proxima morti fuit; sed denuo gratiam recuperatae valetudinis obtinuit.

Die 1 mensis Augusti anno 1928 in Superiorissam Generalem electa est. In huiusmodi munere, per duo sexennia exercito, prudentem et praevidentem sese praebuit et animo fortem in consiliis magni momenti pro Congregatione capiendis, praesertim cum a Sancta Sede adprobatio Constitutionum Instituti obtinenda erat.

Novas domus Mediolani et aliis in locis Italiae et in Chilia erigendas curavit. Hoc tempore in difficilibus rerum adiunctis obeundis, quae muneri Superiorissae quodam modo adnecti solent, optime se habuit, utputa animorum adversitas et hostilitas, rerum penuria, difficultas in aedificiis religiosis erigendis, apostolica anxietas, labor in discernendis in Congregationem vocatis. Etiam durante secundo bello mundiali, una cum suis sororibus Maria Eleonora, militibus vulneratis et aliis dolentibus misericorditer adstitit.

Summa animi pietate sustinebatur Serva Dei in propria generosa navitate, in auxilium praesertim infirmorum. Eius spiritalis via initium coepit ab exquirenda semper divina voluntate, ab amore Dei, a fraterna caritate, humilitate fidelique religiosa observantia. Actio divini amoris transformans sensim eam ducebat ad plenam Deo sui oblationem, ad vocationem doloribus cum Christo compatiendi et ad communionem Spiritus Sancti. Virtutibus eius firmae fidei, constantis spei, puritatis et paupertatis assidue servatis, ac caeteris sive innatis sive proprie evangelicis virtutibus, haec etiam adicienda est, singularis scilicet acceptatio infirmitatum, quasi huiuscemodi gratiae extraordinariae essent.

Prope vitae finem ulcus stomachi debilem eius valetudinem imminuit. Chirurgicae sectioni subiecta, per duos annos dolores suos, qui in dies augebantur, Domino offerebat pro sacerdotibus et suae Congregationis sororibus.

Serva Dei obiit Florentiae die 6 mensis Novembris anno 1945.

Cum Mariae Eleonorae sanctitatis fama divulgaretur, a die 28 mensis Mai anni 1955 usque ad diem 7 mensis Iulii anni 1970 in Curia Archiepiscopali Florentina locum habuit Processus Ordinarius Informativus, quem secuta est Inquisitio dioecesana suppletiva a die 29 mensis Decembris anno 1998 usque ad diem 9 mensis Decembris anno 1999. Quarum validitatem iuridicam haec Congregatio confirmavit Decreto diei 9 mensis Martii anno 2001. Dein, *Positione* confecta, quaesitum est, secundum praxim consuetam, utrum Serva Dei in gradu heroico virtutes exercuisset an non. Favorabili habita sententia, die 14 mensis Octobris anno 2011 locum habuit Congressus peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria diei 1 mensis Octobris 2013, cui ego Angelus Cardinalis Amato praefui, statuerunt Servam Dei in gradu heroico exercuisse virtutes theologales, cardinales iisque adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Eleonorae Giorgi (in saec.: Mariae Angelae), Sororis Professae Congregationis Servarum Mariae Virginis Perdolentis de Florentia, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2013.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ARIMINENSIS

Canonizationis Beati Amati Ronconi e Tertio Ordine Sancti Francisci Fundatoris Hospitalis Pauperum Peregrinorum oppidi Saludecii nunc v.d. «Casa di Riposo Opera Pia Beato Amato Ronconi» (1226-1292)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Enim [...] hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me» (*Mt* 25, 34.35-36).

Verba Domini humanum ac spirituale iter efficaciter explanant Beati Amati Ronconi, cuius fides in Providentiam augebatur et apparuit tam in vehementissima caritate erga omnes et praecipue in peregrinos ac pauperes, quam in constanti ad Ecclesiae et civitatis unitatem et pacem sollicitudine.

Beatus forsitan anno 1226 e diviti familia oppidi Saludecii prope Ariminum natus est, dies mortis vero desideratur. Scimus tamen eius vitam degere, in saeculo quo floruit et diffusus est Sancti Francisci spiritalis adflatus, cuius exemplo inflammati multi alii testimonium spiritualitatis ac caritatis dederunt.

Orbatus utriusque parentis, iuvenis Amatus una cum sorore Clara a fratre natu maiore educatus est, cui postea odio fuit propter eius rerum contemptum ac christianae pietatis vivissimum cultum, quae eum ad pauperes auxiliandos semper impellebat. Iuventute dissensionibus auctis, familiam relinquere et aliquibus agricolis famulari statuit.

Tertio Ordini Sancti Francisci adhaesit, commigratus ad Montem Orcialem, et ad aedificandum hospitium Virginis Mariae Nativitati dicatum se tradidit, ut refugium pauperibus et peregrinis suppeditaret, quibus ipse in necessitatibus praestare non dedignatus est. Hoc in opere a sorore auxilium habuit, quae idem vitae consecratae desiderium excolebat. Ad hoc opus incipiendum ac fovendum, emolumenta suis ex agris et suo e labore destinabat. Ad vitam summae poenitentiae gradatim aggressus est, enim cotidie se ipsum verberabat et solis paucis leguminibus vescebatur. Hoc vitae regimine, saepe agricolae eum irridebant et fratris uxor iuxta civiles auctoritates eum infamare non desinebat. Innocentia autem et sanctitas Amati Ronconi copiose confirmatae sunt.

Spiritualitati Beati, qui divino in amore defixus erat, assidua animi dispositio ad orationem, ad ieiunum, ad poenitentiam et ad generositatem consentanea erat. Ab eucharistico sacrificio et ferventi devotione in Virginem Mariam ille consilium et vim ad cotidie vivendum secundum evangelicam perfectionem et Sancti Francisci paupertatem trahebat. Maxime in accusationibus et in calumniis, quae contra eum invidi machinati sunt, ille magnam humilitatem necnon iustitiae ac moderationis sensum semper obtulit. Aliquas sacras peregrinationes suscepit, quorum saltem quattuor ad Compostellam.

Per testamentum diei 10 mensis Ianuarii anno 1292, Amatus Ronconi illud valetudinarium et omnes suas possessiones solemniter concessit Sancti Benedicti monacis monasterii Sancti Iuliani et Sancti Gregorii in Conca Ariminensi, curans corpus suum in sacello eiusdem valetudinarii sepeliendum. Hoc testamentum omnibus vitae Deo et aliis omnino dicatae culmen recte videtur et observantem et suavem sollicitudinem in Sancti Benedicti monacos necnon prudens studium ad operam servandam ostendit. Amatus paulo post mortuus est et corpus eius in supradicto sacello conditum est.

Sensu fídelium vir probata sanctitate praeditus, post mortem Beatorum cultu honorabatur. Die 17 mensis Aprilis anno 1776 cultus eius a Pontifice Pio VI confirmatus est. In pago Saludecio sanctuarium eius ad memoriam dicatum feliciter stat. Ab illo tempore Beati cultus amplius auctus est. Hac re, a die 12 mensis Novembris anno 1997 ad diem 25 mensis Maii anno 1999 iuxta Curiam Ariminensem Inquisitio dioecesana super fama sanctitatis, vita et virtutibus celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 18 mensis Februarii anno 2000 est approbata. Positivo cum exitu, Historicorum Consultorum Consilium diei 27 mensis Aprilis anno 2010 secutum est et die 23 mensis Ianuarii anno 2013 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi die 24 mensis Septembris anno 2013 Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Beatum virtutes theologales, cardinales et adnexas, heroum in modum excoluisse, agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia,*

Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Beati Amati Ronconi, e Tertio Ordine Sancti Francisci, Fundatoris Hospitalis Pauperum Peregrinorum Oppidi Saludecii nunc v.d. «Casa di Riposo Opera Pia Beato Amato Ronconi», in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI MINIATI

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii Alberti Del Corona ex Ordine Fratrum Praedicatorum Archiepiscopi tit. Sardicensis olim Episcopi Sancti Miniati Fundatoris Congregationis Sororum Dominicanarum a Sancto Spiritu (1837-1912)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina» (*2 Tm* 4, 2).

Apostoli in adhortatione humanum, christianum et sacerdotale iter Servi Dei Pii Alberti Del Corona ostenditur: enim ille, sicut Christus Bonus Pastor, humilis servus Divini Verbi, fidelis, generosus nec non bene paratus ad Spiritus afflatum et ad sui temporis necessitates semper evasit. Excellens filius Sancti Dominici, sacerdos fuit et episcopus splendidus sua in severa austeritate, in orationis amore et in contemptione a saeculo.

Servus Dei die 5 mensis Iulii anno 1837 Labrone e familia modestorum calceamentorum venditorum natus est. Iam a pueritia secundum praecepta christiana educatus est et septimum decimum annum aetatis agens sequi suam vocationem ad religiosam vitam constituit, cuius prima signa iam antea animadverterat. Hac re, anno 1854, Florentiae iuxta Dominicanorum coenobium Sancti Marci receptus est, in quo postea vestem induit, vota emisit et iter institutionis perfecit usque ad sacerdotalem ordinationem die 5 mensis Februarii anno 1860.

Servus Dei, valde aestimatus suis virtutibus et doctrina, iam pastorali munere occupatus, sequentibus annis, magna sollicitudine ad praedicationem, ad institutionem et ad animarum moderationem se dedidit. Anno 1872 iuxta Pium IX admissus est, et, Beato Pontifice benedicente, una cum Pia Helena Bruzzi Bonaguidi «*l'Asilo della Pietra*» instituit, ad pauperum mulierum humanam et religiosam institutionem fovendam et Congregationem Sororum Dominicanarum a Sancto Spiritu fundavit. Eodem anno Sancti Marci coenobii antistes electus est et vehementer suum studium theologicum et philosophicum increbuit, multas operas scribens.

Episcopo Coadiutore Sancti Miniati constituto, Romae die 3 mensis Ianuarii anno 1875 episcopali ordinatione consecratus est. Pervenit ergo Tusciae in Dioecesim in qua triginta et duos annos commoratus est et anno

1897 duodevicesimus Episcopus Sancti Miniati rite factus est. Summa fuit eius sollicitudo et cura: hoc enim clare invenitur et ostenditur in pluribus lustrationibus in paroecis, valetudinariis, carceribus et monasteriis, quae ab eo suscepta sunt, eius in epistulis pastoralibus magno pietatis sensu et doctrina uberrimis, in vehementi ac constanti consuetudine suis cum sacerdotibus et fidelibus, denique in maxima diligentia erga pauperes. Iam a primordiis ministerii sui in Divini Verbi propagationem et in fidei vitae incrementum omnibus paroecis semper incubuit.

Animi amplitudo huius Episcopi in constanti studio perfections eminet, quod multis vicissitudinibus historiae suae ostenditur. Virtutum exercitium illi cotidianus usus fuit tam in privata vita quam in episcopali munere et in hoc vere heroica proposita assecutus est. Maxime singularia fuerunt dona sapientiae, quae a Servo Dei in verbis, in scriptis et praecipue in vita profusa sunt. Ratio orationis, sacrificii, apostolicae sedulitatis, humilitatis, austeritatis, puritatis, exemplaritatis, suavitas amoris in Deum, certa concordia et caritas erga alios, haec omnia in moribus, in verbis et in vitae consuetudinibus Domini Del Corona eminebant eo ut ab omnibus diceretur «*Bonus sicut angelus Dei*». Ecclesiae doctrinam ille maxime amavit et studiis excoluit, praecipue secundum Sancti Thomae mentem, quae per eum medium vivum et ad persuadendum aptum invenit. Amor Eucharistiae et Sanctissimae Virginis Mariae naturae eius pietatis et cultus solidum fundamentum fuerunt.

Anno 1906, graviter aegrotus, in manibus Sancti Pii X mandatum suum detulit. Quia ingravescere salus eius videbatur mane diei 10 mensis Augusti anno 1912 extrema unctione ille illinebatur et insequenti die 15 Augusti, ille hunc diem suum extremum dixit oculosque suos defigens in caelum, animam Deo restituit. In Misericordiae coemeterio Florentiae Servus Dei sepultus est. Constanter ad eius sepulcrum pervenerunt visitationes et peregrinationes. Anno 1925 corpus eius Florentiae in crypta monasterii eius filiarum spiritualium translatum est.

Fama sanctitatis, a die 12 mensis Decembris anno 1941 ad diem 9 mensis Iunii anno 1959 iuxta Curiam ecclesiasticam Sancti Miniati Processus Ordinarius celebratus est, cui duo Processus Rogatoriales Romae et Labrone accesserunt, quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 1 mensis Octobris anno 2004 est approbata. Exarata *Positione,* disceptatum est secundum normas an Ser-

vus Dei heroicum in gradum virtutes exercuisset. Positivo cum exitu, die 5 mensis Octobris anno 2012 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 1 mensis Octobris anno 2013 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pii Alberti Del Corona, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, Archiepiscopi tit. Sardicensis, olim Episcopi Sancti Miniati, Fundatoris Congregationis Sororum Dominicanarum a Sancto Spiritu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 9 Decembris 2014. — Coadiutorem Ecclesiae Goyanensis, R.D. Adolfum Raimundum Canesín, e clero Formosae hactenus in hac eadem dioecesi Parochum.

die 10 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Uzalensi, R.D. Devair Araújo da Fonseca, e clero dioecesis Francopolitanae, ibique hactenus paroeciae vulgo «São José» Parochum, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bladiensi, R.D. Eduardum Vieira dos Santos, e clero Sancti Pauli in Brasilia, ibique hactenus Parochum ecclesiae Cathedralis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 12 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae, Exc.mum D. Vincentium Jiménez Zamora, hactenus Episcopum Santanderiensem.

die 13 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Vigrensi, R.D. Marcum Szkudło, e clero archidioecesis Katovicensis, ibique Vicarium Episcopalem pro permanenti cleri formatione, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Ecclesiae Pomesaniensi, R.D. Adamum Wodarczyk, e clero archidioecesis Katovicensis, ibique Moderatorem generalem consociationis «Luce-Vita», quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 17 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Rivi Australis, R.D. Onesimum Alberton e clero dioecesis Criciumensis, hactenus eiusdem dioecesis paroeciae, vulgo dictae «São Paulo Apóstolo» Parochum.

die 17 Decembris 2014. — Cathedrali Ecclesiae Apamiensi, R.D. Ioannem Marcum Eychenne, e clero dioecesis Aurelianensis, hactenus Vicarium Generalem Aurelianensem.

die 20 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Iuarezensi, Exc.mum D. Iosephum Guadalupe Torres Campos, hactenus Episcopum Gomez Palaciensem.

die 22 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Burlingtonensi, Exc.mum D. Christophorum Iacobum Coyne, hactenus Episcopum titularem Moptensem et Auxiliarem archidioecesis Indianapolitanae.

die 27 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Barbastrensi-Montisonensi, R.D. Angelum Xaverium Pérez Pueyo, hactenus Rectorem Hispani Pontificii Collegii Romae.

die 31 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Boacensi, R.D. Marcellinum Antonium M. Maralit, e clero archidioecesis Lipensis, in hac dioecesi Lipensi hactenus Paroeciae Inventionis Sanctae Crucis Curionem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 15 dicembre, S.E. il Sig. Dennis Anthony Savoie, Ambasciatore del Canada;

Giovedì, 18 dicembre, S.E. il Sig. Vaanchig Purevdorj, Ambasciatore di Mongolia; S.E. il Sig. Sean McWeeney, Q.C., Ambasciatore delle Bahamas; S.E. il Sig. Edward D.A. Lambert, Ambasciatore di Dominica; S.E. il Sig. Philip Sang'ka Marmo, Ambasciatore di Tanzania; S.E. la Sig.ra Louise Bang Jespersen, Ambasciatore di Danimarca; S.E. il Sig. Dato' Mohd Zulkephli Bin Mohd Noor, Ambasciatore di Malaysia; S.E. il Sig. François Xavier Ngarambe, Ambasciatore di Rwanda; S.E. il Sig. Jari Petteri Luoto, Ambasciatore di Finlandia; S.E. la Sig.ra Janet Lowe, Ambasciatore di Nuova Zelanda; S.E. il Sig. Cheik Mouclary Diarra, Ambasciatore di Mali; S.E. il Sig. Kokou Nayo Atsumikoa M'Beou, Ambasciatore di Togo; S.E. il Sig. M. Shameem Ahsan, Ambasciatore di Bangladesh; S.E. la Sig.ra Sheikha Moza Bint Nasser bin Ahmad Ali Al-Thani, Ambasciatore di Qatar;

Sabato, 20 dicembre, Sua Altezza Reale Jaime Bernardo Principe de Bourbon de Parme, Ambasciatore dei Paesi Bassi; S.E. il Sig. Clelio Galassi, Ambasciatore della Repubblica di San Marino; S.E. il Sig. Eduardo Félix Valdés, Ambasciatore della Repubblica di Argentina.

Il Romano Pontefice ha inoltre ricevuto in Udienza:

Sabato, 13 dicembre, S.E. il Sig. Matteo Renzi, Presidente del Consiglio dei Ministri d'Italia;

Lunedì, 15 dicembre, S.E. il Sig. Dragan Čović, membro croato della Presidenza Collegiale di Bosnia ed Erzegovina.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato:

9 dicembre 2014 La Dott.ssa Flaminia Giovanelli, Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace, *Membro della Commissione Disciplinare della Curia Romana.*

17 » » I Membri della Pontificia Commissione per la Tutela dei Minori, che, per il prossimo triennio, risulta così composta:

- *Presidente*: Em.mo Sig. Card. Sean Patrick O'Malley, Arcivescovo di Boston (Stati Uniti d'America).
- *Segretario*: Rev.do Mons. Robert W. Oliver (Stati Uniti d'America).
- *Membri*: Rev.do Luis Manuel Ali Herrera, Arcidiocesi di Bogotá (Colombia); Dott.ssa Catherine Bonnet, Arcidiocesi di Paris (Francia); Sig.na Marie Collins, Arcidiocesi di Dublin (Irlanda); Dott. Gabriel Dy-Liacco, Arcidiocesi di Manila (Filippine); Baronessa Prof.ssa Sheila Hollins, Arcidiocesi di Westminster (Gran Bretagna); Sig. William Kilgallon, Arcidiocesi di Wellington (Nuova Zelanda); Rev.da Suor Kayula Lesa, M.S.C. (Zambia); Rev.da Suor Hermenegild Makoro, C.P.S. (Zimbabwe); Sig.na Kathleen McCormack, Diocesi di Wollongong (Australia); Avv. Claudio Papale, Diocesi di Roma (Italia); Sig. Peter Saunders, Arcidiocesi di Westminster (Gran Bretagna); On. Hanna Suchocka (Polonia); Sig.na Krysten Winter-Green, Diocesi di San Diego (Stati Uniti d'America); Rev.do P. Humberto Miguel Yáñez, S.I. (Argentina); Rev.do P. Hans Zollner, S.I. (Germania).

20 » » L'Em.mo Sig. Card. Jean-Louis Tauran, Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso, e Vice Camerlengo di Santa Romana Chiesa, *Camerlengo di Santa Romana Chiesa.* S.E.R. Mons. Giampiero Gloder, Arcivescovo tit. di Telde, Nunzio Apostolico, Presidente della Pontificia Accademia Ecclesiastica, *Vice Camerlengo di Santa Romana Chiesa.*

2 gennaio 2015 Il Rev.do Mons. Pietro Milite, del clero della Diocesi di Nocera Inferiore-Sarno, finora Promotore di Giustizia del medesimo Tribunale, *Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.*

Si rende noto che in data 16 Dicembre 2014 è stato nominato il Rev.do Sac. Ernest Bonaventure Ogbonnia Okonlkwo, della Diocesi di Awgu, *Giudice esterno del Tribunale di Prima Istanza per le cause di nullità di matrimonio della Regione Lazio.*

NECROLOGIO

9	dicembre	2014	Card. Jorge Maria Mejia, tit. di S. Giordano della Carità.
11	»	»	Mons. Georges Lagrange, Vescovo em. de Gap (*Francia*).
14	»	»	Mons. Anthony Edward Pevec, Vescovo tit. di Mercia (*Stati Uniti d'America*).
17	»	»	Mons. Stephan Hector Douwihi, Vescovo em. dell'Eparchia di Saint Maron of Brooklyn dei Maroniti (*Stati Uniti d'America*).
18	»	»	Mons. Claude Frikart, Vescovo tit. di Summula (*Francia*).
26	»	»	Mons. Giuseppe Pittau, S.I., Arcivescovo tit. di Castro di Sardegna (*Italia*).
1	gennaio	2015	Mons. Géry Leuliet, Vescovo em. d'Amiens (*Francia*).